



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos
instructa**

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

Serenissimo Et Reverendissimo Principi, Ac Domino, D. Ferdinando,
Coadivtori Coloniensi, Leodiensi, Stabulensi, Administratori
Berchtesgadensi, Comiti Palatino Rheni, Vtriusque Bauariæ Dvci, &c. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)



SERENISSIMO
ET REVERENDISSI-
MO PRINCIPI, AC DOMINO, D. FER-
DINANDO, COADIVTORI COLONIENSI, LEO-
diensi, Stabulensi, Administratori Berchtelgadenfi,
Comiti Palatino Rheni, Vtriusque Bauariæ
Duci, &c. Domino suo Cle-
mentissimo.



ERISSIME mihi, SERENISSIMÆ
& Reuerendiss. PRINCEPS, scri-
plisse videtur B. GREGORIUS
Naziāzenus, cognomēto Theo-
logus, tāto animi morbos, quam
corporis grauiores esse, quanto
animus corpore præstantior est.

*Hic enim, inquit in Oratione de amore pauperum,
præter voluntatem existit, ille à voluntate proficiscitur:
hic una cum hac vita finitur, ille nos hinc migrantes co-
mitatur: hic deniq, miseratione dignus est, ille odio, apud
eos quidem, qui mentis sunt compotes. Quo vehemen-
tius mirandum est, tam multos tum veterum, tum re-*

) (2 centio-

centiorum Scriptorum pro curãdis corporis morbis, exstare indiesq; procudi commentarios, nullos verò vel perpaucos pro incolumitate animorum. cum tamen non desint fontes saluberrimi, vnde præsentissima antidota hauriri possint. Habent corporum Medici suos Hippocrates, Galenos, adeoq; Iove ipso prognatum, vt Poetæ fabulantur, *ÆSCVLAPIVM* medicinæ parentem & auctorem, ex quibus sua medicamentã pro vita corporali facta tecta præstanda depromant: at nobis suppeditant Archiatri, vt à vera religione solidiores, sic etiam in curandis hominum animis multò sapientiores, nempe sancti PATRES, Cypriani, Basilij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Gregorij, Bernardi. QVORVM Antidota hoc maiori in pretio habenda, cupidiusque amplectenda sunt, quo ampliorem multis iam retro seculis, tum doctrinæ præstantia, tum vitæ sanctitate, prodigiis cœlestibus contestata, auctoritatem obtinuerunt. Adde, quod plarique omnes Dominici gregis Pastores, & Episcopi extiterint. Quid verò aliud sunt Episcopi, aliiq; Ecclesiarum vel monasteriorum Antistites, quam germani animarum MEDICI, qui *peruigilant*, teste Apostolo, *quasi rationem pro animabus reddituri?* Nos, inquit idem NAZIANZ. in primo Apologetico, *huius Medicinæ spiritualis ministri, operisque participes sumus, quicumq; superiori loco sedemus: quibus tamen si magna laudi ducendum est propria vitia, morbosq; perspicere, iisq; mederi, multo tamen excellentius est aliorum morbos curare posse, sciteq; perpurigare.* Deinde non à commen-
titio.

titio aliquo *ÆSCVLAPIO*, sed à *summo Medicorum*
Magistro, vt eum in Ecclesiasten appellat B. *HIERO-*
NYMVS, Christo *IESV*, eiusq; verbo Spiritus sancti ca-
lamo exarato sua spiritalia pharmaca prisca illi Patres
sunt mutuati. Medici certè neq; nomenclaturam, ne-
que functionem attestante Euangelista Mattheo Sal-
uator noster horruit: rogatus enim aliquando, quam-
obrem Publicanorum, peccatorumq; consuetudine
vteretur, disertè respondit, *non opus esse valentibus me-*
dico, sed male habentibus. Atq; vt primum Euangelici
regni enunciandi initium fecit, *ἀλεξιφάρμακον* ad vulnus
peccati sanandum efficacissimum, nempe *PŒNIT-*
TENTIAM illicò promulgauit dicens. *Pœnitentiam*
agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. ac dein-
ceps totam Galilæam, cæterasq; regiones obiuit, *sa-*
nans omnem languorem, inquit idem B. Mattheus, *et*
omnem infirmitatem in populo, spiritualement vtique; potius
quàm corporalem, vt in eundem locum annotauit.
AUREVM OS. idcirco, inquit, *illas corporum egritu-*
dines sanabat, vt istas scilicet de nostris animabus profli-
garet. His igitur de causis *SERENISSIME PRINCEPS*,
non exiguum operæ pretium me facturum sum arbi-
tratus, si per otium litterarium, quo post publicas Pre-
lectiones Theologicas dudum positas satis abunda-
bam, apiculæ instar ex limpidis diuini verbi sancto-
rumq; Patrum fontibus aliquem Remediorum aduer-
sus animi morbos succum delibarem, & vbi visum es-
set Maioribus, diulgarem. Poteram quidem quorun-
dam exemplo nullo auctore adscripto, varia egritu-
dinum.

dinum spiritalium Medicamenta describere, ingenii-
que ac iudicij iis excogitandis aleam subire: sed neq;
is eram qui tantas naturæ vel gratiæ diuinæ dotes mi-
hi vendicare auderem, neq; qui in opinionem adduci
possem, vt credere non potius cuius erudito Lectori,
tam vetustę totq; nominibus firmatę auctoritatis præ-
iudicium probatum iri, quam priuati vnus commen-
tationes. Nam, *vt in vno aliquo telo aut gladio, quem-*
admodum Magnus quidam vir, sed in dissimili argu-
mento scripsit, multum inter est à qua manu veniat: sic
in sententia, vt penetret, valde facit robusta alicuius rece-
pta Auctoritatis, qua sane veteribus adest, pondus. De-
inde vt aranearum textus non idè præstantior aut
conducibilior est, quoniam è visceribus suis fila pro-
genuerunt, sic confido nec huius operis contextū vi-
liorem fore quoniam apis exemplo libauimus ex alie-
no. QVOD autem hanc qualemcunq; Lucubrationem
sub SERENISSIMI, illustrissimiq; nominis tui auspiciis
in lucem exire permiserim, non inidoneæ, vti spero,
causæ me permouerunt. Primum non conueniebat
hoc sacrum S. PATRVM Ecclesiæ Catholicæ Antistiti-
tum PANAPION alij, quam Ecclesiastico Antistiti in hoc
Operis vestibulo commendari, atq; ei imprimis AN-
TISTITI, qui partes omnes numerosq; in vniuersę di-
tionis suę Archiepiscopalis (domesticam Aulam mo-
destissimam prætermitto) administratione, curatione-
que, cum summa omniū bonorum gratulatione, cum-
mulatè hætenus expleuisset. Accedit, quod tanta hæ-
tenus Serenissimæ profapiæ tuę, Maiorumq; tuorum
in

in Societatem nostram, quã maximis instruxere Collegiis, ac nominatim in huius prouinciã Rhenanã Agrippinense Collegium extitere, hodieq; existunt merita vt nisi ingratislimi videri velimus, non possimus non publicam aliquam grati animi relinquere testificationem. Neq; verò nobis quoq; Moguntinis mente excidere poterat eius temporis memoria, quo amplissima SERENITAS V. cum fratre germano P. M. Sereniss. & Reuerendiss. PHILIPPO, ex Ratisbonensi Præfule in Purpuratorũ PP. Senatũ postea allecto solidum annum in hac Academia sub Societatis nostræ Doctoribus Eloquentiæ operam nauauit: suaq; eximia in DEVM, Deiparamque Religione, in Scholarum Professores obseruantia ac humanitate, in Academicos omnes memorabili modestiã, diligentiaq; exemplo, suã Indolis, virtutisq; Monumentum ære perennius apud nos deposuit. Quocirca diuinum æternumque NVMEN enixè precari cogimur, vt SERENIT. V. Illustriss. Reuerendissimamque nobilissimã Ecclesiã suã, & Societati nostrã quam diutissimè sospitem atq; florentem conseruare velit. MOGVNTIÆ ex Archiepiscopali Collegio Societatis IESV. ANNO à Sanctiss. Deiparã partu M. D. CIIIX. in eiusdem Assumptã ad cœlos peruigilio.

SEREN. V. ILLVSTRISS. & REVERENDISS.

Seruus & humilis Cliens.

Ioannes Busæus.

PRÆ-